


05

A

355



Disputatio Theologica  
*De*  
**Communicatione**

**Idiomatum in CHRISTO, &**

*Salutifero ejus Officio.*

*Quam*

*Divinā adspirante gratiā,*

**IN INCLYTA WITTEBERGENSI ACADEMIA,**

**sub PRÆSIDIO**

*VIRI*

*Admodum Reverendi, Clarissimi & Excellentissimi,*

**DN. JOHANNIS SCHARFII,**

SS. Theologiae Licentiati, ejusdemq; Professoris Extra-  
ordinarii, Logices item & Metaphysices Ordinarii  
Celebrissimi, Praeceptoris, Promotoris & Fautoris sui  
omni observantiae cultu venerandi,

*Placida ventilationi submittit*

**M. JOHANNES HEINRICUS PITTERLIN,**  
Kirchenlamicensis Francus

*Ad diem 21. Maii horis locog̃ consuetis.*

---

*WITTEBERGÆ*

Ex officinā Typograph. MICHAELIS Wende  
ANNO M DC XLV.



05 A 355

## TRANSITIO.

**A**c tenuis Personam & Naturas Christi, earumque unionem personalem proportione instituti quam brevissime proposuimus; Sequitur inde Communicatio Idiomatum, quae propterea nunc statim exponenda erit. Tria verò hie ordine ac distinctè observanda sunt:

1. Communicatio *τροπήσεως* sive Subsistentia carni Christi facta.
2. Communio Naturarum ad invicem.
3. Communicatio Idiomatum.

## APHORISMUS I.

Ac primò quidem *τροπήσεως τῆς λόγου* seu Filii Dei communicata est carni assumptæ, cum eam sic participet, & communem habeat, ut in ea & per eam subsistat.

Humana enim CHRISTI natura non est idiosyncrasia, non habet propriam *τροπήσεων*; nec est auctoritas, persona per se subsistens; nec est auctoritas subsistentiæ carens, sed cœpit, subsistens in persona τῆς λόγου. Damascen: lib.3. cap.9. Assumpta quippe est in personam seu *τροπήσεων* divinam, indequè unam cum Naturâ CHRISTI divinâ constituit Personam, ut Deus & Homo sint unus Christus, unus Mediator, unus Dominus, unus Magister. Immanuel est Jesus Christus; unus Messias, unus Salvator, non unitate Naturæ, sed Personæ, quam indivisam propterea cum Filio DEI possidet caro Christi, in eandem *τροπήσεων* assumta.

II. Communio Naturarum est intima & mutua *τροπήσεων*, quæ Naturæ ambae invicem participant; ita ut Deus verè ac realissimè sit Homo, & vicissim Homo verè sit Deus.

Germen Davidis est Jebova. Jer.23.5. &c. 33.15. Semen Davidis est Dominus Jebova, 2. Sam.7. v.19. Secundus Homo est Dominus de Cœlo, 1. Cor.15. v. 47: Quod natum est ex Maria Virgine, est Filius altissimi. Luc.1. v.32. Filius Davidis est Dominus Davidis. Matth.22. v.43. Filius Hominis est Filius Dei vivi. Matth.16. v.13. & 16. Homo Christus est Deus, & vicissim, Deus Christus est Homo. Quanta ea & quatis

fit Communio Naturarum in Christo , nonnisi ex revelatione di-  
vina judicandum est ; ideoquè modus essendi & inessendi in hoc  
mysterio, definiendus est ex modo prædicandi. *Georpius.* Job. 1.  
v. 14. Luc. i. v. 35. 1. Tim. 3. v. 16. Heb. 2. v. 14. Verissima igitur, intima  
prorsus & profundissima ea sit oportet, ob quam Deus verè est  
Homo, & Homo verè est Deus : quin immò major & intimior est,  
quam quæ in Hōmine est inter Animam & corpus , cum hic dici  
non possit, Anima est corpus, aut contra .

III. Ut verò Natura Christi mutuò participant in eadem  
Persona ; ita quoque invicem participant de proprietatibus suis,  
essentialibus, salvâ & integrâ utriusq; Natura differentiâ .

Hac igitur Communicatio Idiomatum in Christo Jesu non  
est verbalis tantum, aut nudus loquendi modus in nominum al-  
læosi sive permutatione consistens ; sed est realissima participa-  
tio, quâ propria unius Natura, ob Unionem Personalem, verè ac  
realiter competit alteri Natura cœunitæ . Qualis enim unio &  
Communio Naturarum in Christo , talis est Communicatio . At illa est  
realissima . Ergo & Communicatio talis sit necessum est .

IV. Tria solent enarrari Communicationis Genera : Pri-  
mum est, quando propria Naturarum communicantur Personæ  
toti, & Naturis in concreto , ita ut tum Divina Idiomata de Ho-  
mīne Christo , tum Humana de Deo Christo , verè ac realiter  
enunciarentur .

Sic dicitur : *Filius DEI natus est ex Māliere.* Gal. 4. vers. 4.  
*Deus passus est*, sive *Dominus Gloriæ crucifixus est.* 1. Corinth. 2. vers. 8.  
*Autor vita imperfectus est Actor.* 3. v. 15. *DEUS suo sanguine redemit Ecclesiam Actor.* 20. v. 28. *Filius DEI proprius pro nobis traditus est.* Roman. 8. v. 32. Similiter Divina Idiomata dicuntur de Homine  
& Filio Hominis , utpote : *Homo secundus est Dominus de cælo.*  
*1. Corinth. 15. filius hominis stans in terris est in cælo.* Joh. 3. vers. 13. *Filius Hominis ascendit in cælum.* Job. 6. v. 62. *Dominatur omnibus.* Psal. 8. vers. 5. 6. 7. Hebr. 2. vers. 6. 7. 8. Quam propriè verum  
est, duas Naturas Christi coisse in unam Personam, realiter puta,  
tam propriè verum est , Deum esse passum , mortuum , itemq; ge-  
nitum ex Maria esse Deum vivum . Huc referuntur illa quo-  
que

que exempla dictorum, quibus de toto Christo dicuntur propria utriusq; Naturæ, ob unitatem Personæ, ita nimicum, ut de eo, tum divina, ob Deitatem, tum Humana, ob humanitatem intelligentur. v. g. *Unus est Christus, per quem omnia & nos per ipsum.* 1. Corinth. 8. vers. 6. *Christus est heri & hodie.* Hebr. 13. 8. *Christus est omnia in omnibus.* Coloss. 3. vers. 11. *Est in fidelibus.* 2. Corinth. 13. vers. 5. *Est nobiscum omnibus diebus.* Matth. 28. vers. 20. *Est ante Abramum.* Johan. 8. vers. 58. *Est unum cum Patre.* Johan. 10. vers. 30. Item, *Christus natus est ex Maria Virgine.* Luc. 2. vers. 7. *Est exinanitus atque exaltatus.* Philipp. 2. vers. 7. 8. Ubi religiose observanda est regula: Propria Naturarum ita communicantur Personæ, ut tamen suæ quæque naturæ vindicentur. Quod ipsum & Formula Concordie inculcat in Artic: de Persona Christi, quando ait: In hoc prædicationis genere distin-ctè declarandum est, secundum quam Naturam aliquid toti Personæ tribuatur. Ideò hic adhiberi solent particulæ distin-ctivæ sive determinationes, ut: *Filius DEI genitus est ex Semine Davidis κατὸν οὐρανοῦ,* secundum carnem. Roman. 1. vers. 3. *Christus mortificatus est carne.* 1. Petr. 3. vers. 18. *Passus est in carne.* 1. Petr. 4. v. 1. *Est è lumbis Davidis,* secundum carnem. Actot. 2. v. 30. *Est ex Patribus,* secundum carnem. Rom. 9. vers. 5. *Crucifixus est ex infirmitate,* sed vivit ex virtute D'E i. 2. Corinth. 13. vers. 4. Huc facit illud Damasceni lib. 4. de Orthod. fid. cap. 5. *Christus est increatus Deitate, creatus humanitate.* Videatur Gerhardus in Exegesi de Persona Christi cap. II. pag. 1326. & seqq. & 176. & seqq. Quomodo alii duo distincta hic faciant Communicationis Genera, vid. apud D. Brochman. in Loci: de Christo. Geat. p. 17. cap. 12. Sect. 2. 3. §. 4.

V. Secundum Genus Communicationis Idiomatum dicitur Communicatio Majestatis carni CHRISTI assumta facta, quâ Humanæ Naturæ Christi in tempore datur gloria & majestas divina.

Sic Cáró Christi dicitur vivifica. Johan. 6. v. 51. *Sanguis Filii D'E emundat nos ab omni peccato.* 1. Johan. 1. vers. 7. *Purgat conscientiam à mortuis operibus.* Hebr. 9. v. 14. *Christus primogenitus ex mortuis lavat nos à peccatis nostris per sanguinem suum.* Apocal. 1. v. 5. *Virtus exit è corpore Christi in sananda Muliere Hamorrhousâ.* Luc. 6.

7. 19. cap. 8. v. 46. Christus secundum carnem exaltatur super omnia.  
Phil. 2. vers. 9. 10. Deus Pater dedit Filio potestatem faciendi judicium,  
omnium iudiciorum Christi, quatenus Filius Hominis est. Joban. 5. 27. Fi-  
lio Hominis datur aeterna potestas. Dan. 7. v. 14. Omnis potestas in celo  
& in terra. Matth. 28. v. 18. Et haec est irre ciproca participatio, quia  
Humana Christi Natura accepit, non dedit hypostasin: Acce-  
pit maiestatem Filii Dei per unionem Personalem, juxta Regulam  
Sanctorum Patrum Athanasi, Cyrilli, Damasceni: Assumentis est  
dare, non assumti, & assumti est provectio, non assumentis. Hinc  
dicitur: Humanitatis ψωσις, exaltatio & τωρεψωσις superexal-  
ratio, θελτωσις Melioratio προσθητη μεγαλη, magnum incre-  
mentum, provectio. Item μεταδοσις, largitio gloriae divinae,  
transformatio, μετωχη θειας δωδεκατης, participatio potestatis.  
Vid. Gerb. in Exeg: d. l. p. 1357.

VI. Tertium Genus Communicationis Idiomatum est δια-  
πλεσματων & operum redemptionis, quo actiones officii tribu-  
antur Christo secundum utramque Naturam.

Sicut enim Christus Mediator, Redemptor & Salvator est secun-  
dum utramque Naturam, quia DEUS, & Homo est; Sic quoque ope-  
ra redemptionis & salvationis perficit secundum Naturam utramque,  
humanam & divinam 1. Tim. 2. v. 5. Unus Deus, unus Mediator, DEI  
& Hominum, Homo Christus Jesus, qui dedit semetipsum pretium re-  
demptionis pro omnibus. Gen. 3. v. 15. Semeen Mulieris conteret caput  
serpentis. 1. Joban. 3. v. 8. In hoc apparuit Filius DEI, ut dissolvat ope-  
ra Diaboli. Gal. 4. v. 4. Misit Deus Filium suum, ut eos qui sub lege  
essent, redimeret. Luc. 9. v. 56. Filius Hominis venit animas salvare.  
Videatur Gerhard. loc. cit. pag. 1473. Hic diligenter notanda est Re-  
gula Concilij Chalcedon. Utique Natura in Christo agit cum com-  
municatione alterius, quod cuius proprium est. Inde dicuntur A-  
ctiones Dei viriles, θεατριναι. Damascenus. lib. 3. de Orthodoxia. fid.  
cap. 19.

VII. Genera illa Communicationis Idiomatum diversa esse,  
seu modos communicandi diversos, constat ex diversis enuncia-  
tionum divinarum modis.

Etenim aliter loquitur Scriptura Sacra, quando propria utrius-  
que

que Naturæ dicuntur de Persona Christi. Rom. i. v. 3. 4. Et rursum  
alter, quando Idiomata divina de carne Christi, sive humana  
Natura, & Filio Hominis, prædicantur Joh. 5. v. 29. Et denia  
que alter, quando Διπολέσματα & opera redēptionis utriusque  
Naturæ, sive Christo secundum utramque Naturam attribuuntur.  
*Acto. 20. v. 22.*

VIII. Quemadmodum tota Deitatis plenitudo habitat in  
Christo σωματικῶς, tanquam in proprio suo templo; Sic quo-  
que tota Majestas, Potestas & Gloria Deitatis communicata est  
carni Christi.

*Col. 2. v. 9. In Christo habitat tota plenitudo Deitatis corporali-  
ter. Notanter dicitur, πᾶν πλήρωμα τῆς Θεότητος tota plen-  
tudo Deitatis. Non ergo partialis est ea inhabitatio, sed totalis; us  
omnis divina virtus, plerū ac tota habitat in Christo. Plenitudo e-  
nī Deitatis est, quicquid in ipsa Deitate est, & quicquid divina  
majestatis, potentiae, sapientiae, vitae, bonitatis, gratiae, intra se ha-  
bet, hoc est, plena & perfecta Deitas. Notanter dicitur, κατὰ τὸν  
σωματικὸν, inhabitat corporaliter, ut Deitatem inhabitantem  
distinguat ab habitaculo, in quo ea habitat, id quod est σῶμα.  
Corpus & Caro Christi, sive Humana ejus Natura, quæ ob illam  
Deitatis inhabitationem à S. Patribus & Ecclesia Orthodoxa di-  
citur proprium Deitatis, templum & organon Filii Dei actuosi-  
simum. Athanas. *Orat. 4. contr. Arianos* pag. 244. hac de re sic  
loquitur: *Corporaliter habitat Divinitas in carne, quæ verba identi-  
valent, at si dicas, cum Deus esset, proprium quoddam corpus cœperit,  
eoquè utens ut organo, Homo factius est propter nos, ideo et ea opera,  
que sunt propria Verbi, upote mortuos excitare, cœcis visum restituere  
Hemorrhousam sanare, omnino et corporis ministerio peragabantur,  
illa opera in carne siebant, quia caro illa erat corpus DEI.  
Nisi opera Deitatis Verbi per corpus patrata fuissent, nunquam Ho-  
mo Deificatus esset. Ecce habitaculum Deitatis est caro Christi,  
quam Deificat, & per quam efficax est in divinis operibus. Sic  
etiam *Cyrillus lib. 10. Thesauri cap. 7.* Paulatim natura nostra ma-  
nifestabatur sic, ut instrumentum esset Deitatis, quæ habitavit  
in ipsa. Similiter *Augustin. in Epist. 57. Ad David. Col. 284. ex-  
pli-  
cas.***

Pncat, quomodo plenitudo Deitatis habet in Christo vere & realiter, non umbratiliter, & quidem tanquam in suo proprio templo. Non ideo, inquit, corporaliter, quia corporeus est DEUS, sed aut verbis translatis usus est, tanquam in templo manu facto, non corporaliter, sed umbratiliter habitaverit, id est, præfigurantibus signis: Nam illas omnes observationes umbras futurorum vocat etiam ipso translato vocabulo. Summus enim Deus, sicut scriptum est, in manu factis templis non habitat: aut certè corporaliter dictum est, quia & in Christi corpore, quod assumptus ex Virgine tanquam in templo habitat Deus. Præterea religiosè observes velim, quod jam olim in Primitivâ statim Ecclesiâ ex Justino Martyre docuerunt Orthodoxi. Plenitudo, inquit, Deitatis dicitur in Christo habitare καὶ ἐξιστοῦν. Eximio quodam modo, tanquam in templo suo proprio. Nota καὶ ἐξιστοῦν. Et quidem adeo singularis ea inhabitatio Deitatis in Christo est, ut toto genere disset ab alia quavis communi inhabitatione, quâ Deus dicitur habitare in Sanctis. Certè inhabitatio non est externa per nudam quandam associationem, sed intima & profundissima, adeò ut ob communem κοινωνίαν caro particeps facta sit totius Dictatis, hoc est, communisata ei est tota Majestas Divina:

I X. Communicatio Majestatis Divinæ in Christo carni assumta facta nonnisi ex revelatione divina, & modis loquendi in Verbo DEI expressis constat, indeque luculenter demonstratur ex divinissima & plenissima carnis inunctione, ex Filii Hominis glorificatione, ac summa Christi exaltatione, quâ ipsi in tempore collata est Gloria & Majestas Divina, Nomen ipsi datum super omne nomen, ut ad nomen Iesu omne genu se flecat cœlestium & Terrestrionum & Infernorum, omnisq; lingua confitatur Dominum esse Iesum ad gloriam Dei Patris. Phil. 2.9. 10. 11.

Quomodo hic loquatur divina Scriptura, religiosè attendendum, & primò omnium observandum est. Certè non tantum de toto supposito, de Christo, & in concreto pronunciat divina idiomata; sed quoque in abstracto de carne CHRISTI Joh. 6. v. 51. 54. 55. De sanguine Christi 1. Joh. 1. v. 7. Hebr. 9. v. 14. De Corpore Christi. Matth. 26. v. 27. Luc. 6. v. 19. cap. 8. v. 46.

De

De Filio Hominis, quatenus Filius Hominis est. *Job. 5. v. 27. Apoc. 1. v. 13. 14. c. 22. v. 19. 1. Cor. 11. 26.* De Semine Mulieris. *Genes. 3. v. 15.* De filio Iudee & agno Dei occiso. *Apoc. 5. v. 5. 6. 12.* Adeoq; ostendit Naturam Humanam, eiq; Divinam Majestatem collatam esse, satis aperte disserit. Hinc Concil. Ephesin. disserit ait: *Caro Domini est vivifica, propterea quia propria facta est Verbi, quod omnia vivificat.* Item Theodo-retus Dial. 2. *Corpus Domini vocamus divinum, vivificum, & dominicum.* *Quod ipsum porrò comprobatur.*

1. Ex divinissimâ & plenissimâ carnis inunctione. Uncta enim illa est singulari prorsus modo. *Psalm. 45. v. 8.* *Unxit te Deus, Deus tuus, oleo letitiae pra confortibus tuis.* Infinitâ Spiritus Sancti plenitudine *Johan. 3. v. 34.* Adeò ut omnia data sint in manum ejus. *Job. 3. v. 35.* & ex ejus plenitudine omnia accipiamus *Johan. 1. v. 16.* ut super Hominem Christum habitet sive requiescat *Spiritus Jehovae, Spiritus sapientie & intelligentie & fortitudinis &c.* *Esa. 11. v. 2. cap. 61. v. 1. 2. Luc. 4. v. 18.* Ut Jesum Nazarenum unxerit Deus Spiritu S. & Virtute, quâ oppresos à Satanâ sanavit. *Acto. 10. v. 38.* & miracula fecit. *Johan. 2. v. 11.* De quâ unctione notetur Regula: Ungens est Deus, uncta est caro. Item: Ipse seipsum unxit, ungens quidem ut Deus, suâ Deitate corpus; unctus autem ut Homo. *Damascen. lib. 3. de Orthodox. fid. cap. 3.* *Unctio igitur ad humanitatem pertinet.*

2. Ex divinissimâ glorificatione, quâ gloriam DEI æternam accepit, quam petit, *Johan. 17. v. 5.* *Glorifica me tu Pater apud te-metipsum, et gloriâ, quam habui apud te, priusquam hic mundus esset.* Quam dedit ei Pater *v. 24.* Divinissima illa gloria est, de qua *Esa. 6. v. 3.* *Plena est omnis terra gloria ejus.* Certe immensa ipsius Jehovâ gloria ea est, Sed de Christo explicatur *Johan. 12. v. 41.* Hæc dixit Esaias, quando vidit gloriam ejus, & locutus est de eo. Sic Chtistus inclinavit gloriâ uiugenit Filii DEI. *Johan. 1.. v. 14.* In miraculis *Johan. 2. v. 11.* Veniet tanquam iudex mundi in gloriâ Patris *Matth. 16. v. 27.* cum potentia & gloriâ multâ. *Matth. 24. v. 30.* Filius Hominis cum gloriâ suâ. *Matth. 25. v. 31.*

3. Ex Christi exaltatione, quâ longè supra omne Imperium, potestatem, Virtutem, Dominium & omne nomen elevatur, ut divinæ potentia Dei Patris, supereminentis illius magnitudinis

potentia: particeps dominetur, sit caput Ecclesiae & impleat omnia in omnibus. Ephe. 1. v. 19. 20. 21. 22. 23. Sic Christo datum est nomen, quod est super omne nomen. Phil. 2. v. 9. 10. Omnia ipsi sunt subiecta Psal. 8. v. 6. 7. Hebr. 2. v. 7. 8. In hoc autem quod ei subiecit omnia, nihil omisit, quod non sit illi subiectum. 1. Cor. 15. v. 27. Graviter Leo Epist. 22. Dicant Adversarii veritatis, quomodo omnipotens Pater, vel secundum quam Naturam Filium suum super universa provexerit, vel cui naturae cuncta subiecit? Deitas enim verbi pars in omnibus & ~~duo~~ est Patri, & intemporaliter una eademque est potentia Genitoris & Geniti: huic (Naturae Divinae) si addita potestas est, si illustrata dignitas, si exaltata sublimitas, minor erat proveliente, quae creavit, nec habebat divitias ejus, cuius indiguit claritate. Sed talia sentientem in societatem suam Arium rapuit, cui multum suffragatur haec impietas. Item Athanasius de suscep~~t~~ia humanitate contra Apollinarium. Paulus Phil. 2. de templo loquitur, quod est corpus suum: Non enim qui altissimus est, sed caro exaltatur, & carni sua dedit nomen, quod est super omne nomen, ut scilicet in nomine Jesus reflectatur omne genu, & omnis lingua confiteatur, quod Jesus Christus sit Dominus in Glorio DEI Patris. Et addit regulam generalem: Quando Scriptura loquitur de glorificatione Christi, de carne loquitur, quae accipit gloriari; Et quecunque Scriptura dicit, accepisse Filium, ratione Humanitatis illius, non Divinitatis loquitur, ut cum dicit Apostolus, quod in Christo habitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter, plenitudinem illam in carne Christi habitare intelligendum est. Item Gregor. Nissenus apud Gelasium. & Theodorer. Dial. 2. de dicto illo Petri Actor. 2. v. 33. Dextera DEI exaltatus est &c. Deus exaltari non indiget, cum sit altissimus. Humanitatem igitur Christi Petrus exaltatam intelligit. Exaltatum autem in eo, quod Dominum ipsum & Christum fecit. Quibus verbis, non eternam essentiam designat Apostolus, sed profectionem humilis naturae ad celstudinem eam, quae ad dextram Dei est, designat. Dextra enim Dei, quae creatrix est omnium, & quae dextra est ipse Dominus, ipsa dextra unitum sibi hominem in propriam suam evexit celstudinem, seu sublimitatem per unionem. Basilius Magnus contra Eunomium lib. 2.

Petrus

Petrus Acto. 2. cum inquit: *Hunc Iesum, quem vos crucifixis, fecis Dominum, voce demonstrativa, humanitatem Christi designat*, atque ipsi principatum ac Dominium à Patre commissum dicit. *Quocirca facessant hinc Calviniani*, qui exaltationem & glorificationem Christi ac divinitatem ejus interpretari non erubescunt.

X. In specie ac singulare quadam ratione ea idiomata divina communicata sunt carni assumptæ, quæ in opere Redemtionis se luculenter atque potenter exerunt; adeoque in tota Incarnationis Oeconomia quam maximè eluent, qualia sunt, Omniscentia, Omnipotentia, Virtus divina, vivificandi, miracula faciendo, mundandi à peccatis, Judicandi mundum, Omnipræsentia & gloria adoracionis.

*Quod üe incarnatione filii D'E I uno ore omnes confitentur do-*  
*centes Orthodoxi, eam propterea factam esse, ut in & per carnem*  
*Christi opera mediatoria perficerentur, & homo per humanam natu-*  
*rum restauretur; idem quoque observandum est de communicatio-*  
*ne Idiomatum in natura Christi humanâ. Ideò nimurum eam*  
*factam esse, ut juxta Oeconomiam divinam opus redempcionis absolvit*  
*possit. Quam in rem eruditè ac p̄se scribit Athanasius in Expositio-*  
*nē dicti Christi Matth. II. Mibi tradita sunt omnia, sub iis verbis οὐκε-*  
*vouίας, dispensationem, rerum per carnem gerendarum significa-*  
*ri, & continenter addit: Verbum caro factum est, & carnem induit,*  
*ut in eo omnia instaurarentur, ipse enim patiendo, nos refocillavit, &*  
*esuriendo aluit, & ad inferos descendendo exiulit. Disertius in*  
*Orat. 4. contra Arianos loquitur, & operose inculcat opera*  
*Deitatis in carne, & per carnem Christi perpetrari: Nisi enim, ait, ope-*  
*ra Deitatis verbi per corpus patrata fuissent, nunquam homo Deifica-*  
*tus fuisset. Hinc certa Deitatis Idiomata singulari quadam ra-*  
*tione communicantur carni assumptæ. De omnisciencia clare*  
*loquuntur dicta Esa. II. vers. 1. Col. 2. v. 3. Iohann. 2, 25. Job. 21, vers. 17.*  
*quam & potestas Judicii universalis requirit 1. Corinb. 4. vers. 5.*  
*Omnipotentiam Christo homini donatam astruunt dicta Matth.*  
*28, v. 18. Dan. 7. vers. 13, 14. Apost. 5, 11, 12. similiter virtus Divina*  
*χωροντινή, Γαύιας γεγονή, ναργενλυνη & νεπτηνη diserte ad-*  
*scribuntur carni Christi & filio hominis Iohann. 6. v. 51, 54. Job. 5,*  
*26. Acto. 10, 38. 1. Iohann. 1, 7. Iohann. 5, 27. De omnipræsentia Chri-*

stus ipse ait *Mattb.* 18. vers. 20. Ubi duo vel tres in nomine meo congregati fuerint, ego sum in medio eorum *Mattb.* 28. 20. Ecce ego sum vobiscum omnibus diebus usque ad confirmationem seculi. Gloria denique adorationis, qua clarissime astrictur *Psal.* 72, 11. *Psal.* 97. v. 7. & 97, 7. *Phil.* 2, v. 9. 10. &c. De quibus omnibus alii disputatione fuisse, hic pro ratione instituti breviores simus oportet.

XI. Ceterum missus est CHRISTUS in mundum non sui ipsius, nec Angelorum causa, sed unicè propter homines, in salutem totius Generis humani, ut omne id restauraret, quod perierat, animasq; hominum Salvaret.

Cum nascetur CHRISTUS, in ea statim nocte appareat Angelus pastoribus & acclamat, Ecce annuncio vobis gaudium magnum, quod futurum est omni populo. Quia natus est vobis hodie Servator, qui est Christus Dominus in civitate David *Lnc.* 2, 10. Quod & Propheta jam olim praconiauerant. Parvulus natus est nobis & filius datus est nobis *Esa.* 9. 6. Exulta valde Filia Sion, jubila Filia Jerusalem: Ecce Rex tuus veniet tibi, justus & Salvator *Zach.* 9. vers. 9. Rursus *Esaias* cap. 35. vers. 4. Ecce Deus yester cum ultione veniet cum retributione, Deus ipse veniet, & salvos faciet vos. *cap.* 45. 72. Jehova Salvator Israe lis ait. Respicite ad me & Salvi eritis omnes fines terræ, quoniam ego sum Deus & non est amplius. Per me juravi, egressum est de ore meo in iustitia verbum & non revertetur, quod mihi curvabitur omne genu, per me jurabit omnis lingua. vers. 25. In Jehova iustificabunt sese & laudabunt sese omne semen Israel. Nimirum CHRISTUS Iesus factus est nobis sapientia à DEO, Justitia, & Sanctificatio & Redemptio & *Corinth.* 1. vers. 30. Porro cur, aut quem in finem nobis sit datus, nobis missus, differè enunciant dicta *Galai.* 4, 4. Postquam venit plenitudo temporis, emitis Deus filium suum factum ex muliere, factum legi obnoxium, ut eos, qui legis erant obnoxii, redimeret, & adoptionem filiorum recuperemus *Mattb.* 18. v. 11. Venit Filius Hominis servare quod perierat, *Joh.* 3, 16. 17. Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam eternam. Non n. misit Deus filium suum in mundum, sed ut condemnet mundum, ut scryetur mundus per eum. *cap.* 12. v. 47. Non veni, ait Christus

*filius ipse*, ut iudicem mundum, sed ut servem mundum. *Lac.* *¶*  
*v. 56.* Filius hominis non venit ad perdendum animas hominum,  
sed ad servandum *cap. 19. v. 10.* Venit filius hominis querere &  
servare, quod perierat. *Hic ergo fidelis Dei sermo est Christum*  
*venisse ut peccatores servaret* *1. Tim. 1. v. 15.*

XII. Officium Christi triplex est, Propheticum, Sacerdotale  
& Regium. Missus enim est Christus, ut sit Prophetā magnus,  
uti promissus erat *Deut. 18. v. 8.* *Iste venit* *Luc. 7. vers. 17.* Prophetā ma-  
gnus surrexit inter nos *Mattb. 23. vers. 10.* Unus Vester est magister, nema-  
pe Christus, *Johan. 3. v. 2.* Preceptor Gentium *Esa. 45. v. 4.* Ecce testem  
populo dedicatum, ducem, & preceptorem gentium. Evangelista *Esa. 61.*  
*v. 1. &c.* Spiritus Domini super me, eo quod unxit Dominus me, ad  
annunciandum mansuetis misit me, ut alligarem contritos corde & pra-  
dicarem captivis libertatem, & clausis aperitionem carceris, annum  
benelaciti Iehovae, &c.

Missus est Christus ut sit Sacerdos summus & victimā pro mundo  
*Pstio. v. 4.* Sacerdos in eternū secundum ordinem Melchisedec *Heb. 5. 10.*  
*c. 2. 17.* fideli Pontifex, in his quæ apud DEUM forent agenda & ad  
expiandum peccata populi *Job. 1. v. 29.* Ecce Agnus ille DEI, qui tollit  
peccata mundi. Quam ob causam vocatur Mediator *Hebr 9. vers. 15.*  
Ob id Novi Testamenti Mediator est, ut morte intercedente ad redem-  
ptionem earum prævaricationem, quæ fuerunt sub priori Testamento  
ij qui vocati sunt, præmissionem accipiant etermā hæreditatis. Re-  
demptor. *Job. 19. vers. 25.* Scio quod redemptor meus vivit &c. Salva-  
tor *Luc. 2. v. 11.* Natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Do-  
minus in civitate David. Reconciliator. *Rom. 3. v. 25.* Quempro-  
posit *DEU S* propitiationem per fidem interventione ipsius sanguine,  
ad ostensionem justitiae sua, propter remissionem præteriorum pecca-  
torum.

Missus est Christus, ut sit Rex Regum in solio Davidis *Luc.*  
*1. v. 32. 33.* Hic erit magnus & filius Altissimi vocabitur, & dabit illi  
Dominus *DEU S* sedem David patris sui ipsius. Regnabitque super do-  
mum Jacob in eternū, & regne eius non erit finis *cap. 2. vers. 11.* Quia  
natus est vobis hodie Servator, qui est Christus Dominus in civitate  
David *Psal. 2. v. 6.* Rex super Sion montem Sanctum ejus. *Zach. 9. v. 9.* Ecce  
Rex tuus veniet.

Quam ob causam vocatur Princeps Ezech. 37. vers. 25. David  
Servus meus Princeps eorum in perpetuum. Dominator Mich. 5. v. 2.  
Dux in Israel, qui gubernatur usque populum Israhel. Matth. 2. 6. Dux  
vitæ Actor. 3. v. 15. Autorem vitæ interfecisti quem Deus suscitavit à  
mortuis.

XIII. Christus Salvator est non paucorum, sed omnium, non  
sanctorum aut electorum tantum, sed perditorum peccatorum &  
totius mundi.

Quod ipsum passim inculcat Scriptura Sacra, & luculenter con-  
stat exinde. 1. quia Christus satisfecit sive mortuus est pro toto ge-  
nere humano in primis parentibus perditis. Venit enim filius ho-  
minis servare quod perierat σωσαν τὸ ἀπολωλός Matth. 18. v. 11. Si-  
cūt per unius delictum propagatum est malum in omnes homines ad con-  
demnationem; Ita & per unius Justificationem propagatur bonum in  
omnes homines ad justificationem vitæ. Quemadmodum enim per ino-  
bedientiam unius hominis peccatores constituti suimus multi, ita per  
obedientiam unius, justi constituantur multi Rom. 5. v. 18. 19. Quemad-  
modum per Adam omnes moriuntur, ita & per Christum vivificabuntur  
1. Cor. 15. v. 12. Hinc diserte dicitur, quod Christus mortuus sit pro  
omnibus Ef. 53. v. 6. Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in  
viam suam declinavit: & posuit Dominus in eo iniuriam omnium  
nostrarum Rom. 8. v. 32. Deus non pepercit proprio filio, sed pro nobis omni-  
bus tradidit illum 2. Cor. 5. v. 15. Pro omnibus mortuus est, ut qui vi-  
vunt, post hac non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est & resurrexit.  
Hebr. 2. v. 9. pro omnibus gaudavit mortem ex gratia Dei. 1. Tim. 2. v. 6.  
Dedit semetipsum pretium redēptionis pro omnibus; ut esset testimo-  
nium temporibus suis & ibidem cap. 4. v. 10. Est Salvator omnium  
hominum, maximè autem fidelium.

2. Christus mortuus est pro toto mundo Job. 3. v. 16. Deus di-  
lexit mundum & ei misit unigenitum suum filium &c. Christus est ag-  
nus Dei qui tollit peccata mundi Job. 1. 29. Est Salvator mundi Joh.  
4. 23. Job. 4. 14. Est panis vitæ, & dat vitam mundo Joh. 6. 33. 51.  
Venit non ut judicet, sed ut salvet mundum Joh. 12. 47. Est propitia-  
tio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro to-  
tius mundi 1. Job. 2. v. 2. Conf. Rom. 5. v. 8. 9. Commendat DEUS  
suam

*Suum Charitatem organos, quod cum adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus fuit. Multo igitur magis justificati nunc sanguine ejus servabimur per eum ab ira &c.*

Denique 3: Quia etiam pro iis mortuus est, qui in suis peccatis pereunt & dominantur Rom. 14. v. 15. Ne cibo tuo illum perdas, pro quo Christus mortuus est i. Cor. 8. v. 11. Et tua scientia peribit frater, qui infirmus est, propter quem Christus fuit mortuus 2 Pet. 2. v. 1. fuerunt Pseudoprophetæ in populo, etiam Dominum, qui illos mercatus est, abnegantes Ebr. 6. v. 4 5 6. Impossibile est, ut qui semel fuerint illuminati, gustaverintq; donum caeleste, & participes saeclii fuerint spiritus Sancti, & gustaverintq; bonum Dei verbum, ac virtutes futuri seculi, si prolabantur, denouo renoverentur per pœnitentiam, ut qui rursum crucifigant semetipſis filiuor Dei & ludibrio exponant. cap. 10, v. 10, 26. 29. Voluntate Christi sanctificati sumus. Si ultrò igitur peccaverimus post acceptam cognitionem veritatis, non adhuc pro peccatis est reliqua hostia. Sed horrenda expectatio iudicij & acerbissimo supplicio dignus censetur, qui Filium Dei concubatur, & sanguinem Testamenti ceu rem prophana habuerit, per quem fuerat sanctificatus. Christus oreavit pro peccatoribus Ef. 53. v. 12. Psal. 68, v. 19. Accepit dona pro hominibus: ut etiam rebelles inhabitent tabernacula Domini Dei. Et quid? propterea dominantur impii seu reprobi, quia non credunt in Christum, nolunt eum recipere, meritum & beneficium ejus agnoscere, sed negligunt & spurnunt suum salvatorem Joh. 3. v. 18, 36. cap. 6. v. 53.

Matth. 22. v. 35, 71.

Soli DEO & CHRISTO gloria.

---

*Humaniss. Dn. M. RESPONDENTI. S.*

**C**HIRSTUM scire bonum est, & summa Scientia; **CHRISTUM**: Diligere est melius; Cernere, summa bonis est.  
Scis illum, Juvenis doctissime; diligis illum,  
Et cernes olim; Sic bona quæq; tenes.

*Aυτοχθως*  
**PAULUS ROBERUS D. Prof.**  
**Paf. & Superint. Witteb.**

Ad

Præstantissimum Dn. Respon-  
dentem.

**B**ITTERLINE suis applaudunt candida ceptis  
 Omina Musarum, chorus omnis, & alta Sionis  
 Culmina, non molli qui tendit scandre nisu.  
 Ipse quoque emeritas, Juvenum ornarissime, laudes  
 Acclamo, faveoq; tibi, voveoq; precatus  
 Grata tuum semper solentur fata laborem.

Augustus Buchnerus.

Quid sanctior tibi Sion recluserit  
 Suas opes, atque hauseris profundius  
 Quicquid scientia Sacratioris est:  
 Doces, Amice, tam eruditè disputans.  
 Congratulor medullitus, Deum obsecrans,  
 Is faxit ut quanta ingenii lux est tui  
 Quantusq; candor ac quanta & fides tua:  
 Et tanta quoque brabia contingent tibi;  
 Tamq; omnia tibi semper cadant, votum.

Sacratioris amicitia ergo

בלא יב זילך

M. Fridericus Holzmann  
 Veitblam: Francus.



05 A 355



WOM



B.I.G.

Black

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



Disputatio Theologica  
De  
Communicatione  
Idiomatum in CHRISTO, &  
Salutifero ejus Officio.

Quam

Divinā adspīrante gratiā,

IN INCLYTA WITTEBERGENSI ACADEMIA,

sub PRÆSIDIO

VIRI

Admodum Reverendi, Clarissimi & Excellentissimi,

DN. JOHANNIS SCHARFII,

SS. Theologiæ Licentiati, ejusdemq; Professoris Extra-  
ordinarii, Logices item & Metaphysicses Ordinarii  
Celebrissimi, Præceptoris, Promotoris & Fautoris sui  
omni observantie cultu venerandi,

Placida ventilationi submittit

M. JOHANNES HEINRICUS PITTERLIN,

Kirchenlamicensis Francus

Ad diem 21. Maii horis locog̃ consuetis.

WITTEBERGÆ

Ex officinā Typograph. MICHAELIS Wende  
ANNO M DC XLV.